



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Stvdio Perfectionis Libri Dvo**

**Crombecius, Johannes**

**Mogvntiæ, 1614**

XIII. Deteriorem Complexionem eiusque vitia Perfectioni acquirendæ  
remoram ac impedimenta plurima obiicere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

naturam ex dimidio tantum cognoscunt. Neque enim omnes iustitia hostes, neque omnes amatores nascuntur. Ob corporis Temperaturam utrique tales geniti. Ac si ne, qui talia astruunt, subinde petunt, quo videlicet re quispiam debeat laudari, vituperari, odio haberi, amari, cum probus aut improbus non suo pro ingenio sed à Temperatura sit factus, quam ab aliis causis que que accepisse deprehenditur. Quia, scilicet respondimus nos, omnibus hoc nobis inest, ut amplectamur bona, ambiamus, amemus: malum abominemur, atque procul arceamus. Ex quo patet, etiam Ethnicum hunc liberam electionem boni & mali in lumine agnouisse; & virtutis bonitatem, vitii turpitudinem, eligenti ac facienti ascribendam esse.

## C A P. XIII.

*Deteriorem Complexionem eiusque vitia  
PERFECTIONI acquirenda remoram  
ac impedimenta plurima  
obiicere.*

*Sanguineorum  
Complexio, eorumque  
vitia.*

16. **S**ed ad particularia descendamus: ac de vitiiis, que ex singulorum humorum copia prædominante proueniunt, explicemus. Et in primis de sanguineorum Complexione id medici statuunt: sanguinem spiritus alacres ac perfectos gignere: quo fit ut sanguinei & lætitia exiliant, & in risum & cachinnos soluti fundantur, spiritum minime teneant, alios ad idem



idem facile prouocent, fabulis delectentur, & magis, ne dicam infulsis, scurrilibus, & inuerecundis sermonibus. Benigniores etiam sunt, & affectibus indulgent suis, & alienis. Si vini potus accesserit, multa effutiunt, quæ secreta esse oporteret: & quia proniores in beneuolentia infimanda ac colligenda, arcana produnt, & sua consilia detegunt. Solemne illis est, *de se suisque multum predicare, subinde falsa, imo & cum irrisione auditum militem gloriosum imitari*; rebus seriis tractandis pondus omne detrahere, & in iocum omnia vertere. Cantu capiuntur, & si artem calleant, aliis recreationem nituntur adferre: quia & canunt libenter ipsi, & non illibenter volunt audiri. Proni sunt ad libidinem, ob ingenitum calorem humido permixtum. Potationibus capiuntur, & cibis lautioribus libenter vescuntur; quia similia similibus conseruantur: his enim sanguis conficitur, & calor conseruatur. Omnia pœne concurrunt libidinum incitamenta: animi læticia; ingenij vis & aptitudo artibus discendis: benignitas in vultu ac moribus, ob sanguinei humoris clementiam: oris decus; verborum eloquentia, ac didicendi facilitas: color venustus, cum serena semperque subridenti facie. Vnde Hippocrates, *Quibus, inquit, concessum est puriore sanguine frui, frequenter irident, & florida facie apparent, colore venusto: rubro nimirum, & cum splendore: non rubeo fusco, quo tinguntur vinorum generosiorum potatores. Accedit audacia, quam prouocat calor sanguinis: & corpulentia, egregiaq;*

*Cic. li. i. Offic.*

*Li. de preparatione hominis.*



*Auicenna.* 2.1. doctri-  
na. 3. c. 3.  
giaque forma, qua præditi esse solent. *Mgltm*  
do enim carnis rubra (vt ait quidam Philoſophus  
cum decenti firmitate & non laxitate eius, ſignificat  
Complexionem calidam & humidam, qualis eſt ſa  
guinea: quia multitudo carnis rubrae aſſertatur ſu  
fortitudine virtutes aſſimilatiua & multitudo ſa  
guinis, que vigent & inualeſcunt humido & calido

*Li. 2. Tē-  
peram.*

Idem ſcribit Galenus. His ergo omnibus et  
vbi a deſt gratia cœleſtis cum Temperie, magis  
præſtantur, & ſanguinea excellentiſſima Com  
plexionum eſt, quali putatur fuiſſe præditus  
Ioannes Euangelista, qui aptiſſime à Chriſto  
lectus fuit, & appellatus diſcipulus quem  
gebat IESVS; (erat enim reuera amabilis, & qui  
q̄ dſcripſit aut dixit, nihil aliud quam amore  
dilectionem ſapere ac ſonare videtur) ſi tamen  
naturæ relinquimur, & humor ille præ cere  
exuberet, domi iuratum fouemus hoſtem, &  
viſceribus noſtris alitur, qui quærendæ PERFE  
CTIONI grauiſſima impedimenta obijciat

*Complexio  
cholericæ.*

17. Cholera, ſeu flaua bilis, ſuos animo mo  
bos etiam ingenerat: eſt enim calida & ſicca, ſi  
que ignem facile concipit; qui inſuſus, aut re  
tentus, impetum facit, dum exilit, & euertit co  
nia. Sunt ergo cholericus impetuofus. Sat etiam  
conſtat, cholericos ambitioſos eſſe, & hono  
ris cupidos; primas expetere ſedes; con  
præferre ſeſe omnibus, nullius ferre poſſe im  
peria: ſuperfluus enim calor animum ad arro  
gantium & temeritatem excitat. Sunt ijdem ad ma  
dum edaces ac multiuori: intentior enim calor  
qui ipſis ineſt, magis digerit, & maiorem ſe  
lutie



lutionem facit. Dicuntur esse magnanimi, elati,  
superbi, iniurias tolerare non posse. Sunt præ-  
termodum iracundi, ob ebullitionem sangui-  
nis circa cor, facilemque cholerae commotio-  
nem: quæ enim sicca sunt, flammam facile con-  
cipiunt. Dicuntur astuti esse, fallaces, ac dece-  
ptores: quod tenuitas & caliditas humoris cho-  
lerici deceptionis modos eis prolixè suppe-  
ditet. Prodigii sunt in muneribus largiendis,  
ubi præsertim honoris consequendi aut digni-  
tatis spes affulget. Audent denique quæcum-  
q; & maxime ardua aggrediuntur, ad quæ cupi-  
ditate impelluntur, ob nimium calorem, & ma-  
ximè cordis. Et hi quidem morbi ab hoc fonte  
nascuntur; qui quantopere obsint moderatio-  
ni ad PERFECTIÖNEM requisitæ, nemo non  
videt.

18. Non desunt & sui morbi phlegmaticis, *Complexio  
phlegmati-  
ca.*  
qui maxime proueniunt ob debilitatem caloris  
natiui: soluuntur enim instar aquæ, quæ & hu-  
mida ac frigida est, & sic ex parte calori repu-  
gnat, qui tamen vires fulcit, erigit, & roborat;  
hinc pituitosi, torpidi, pigri somnolenti, &  
tardi, longiori somno capiuntur, & ad otia ma-  
gis quam ad studia propendent, torpentib. ni-  
mirum ob frigiditatem instrumentis, auctore Ga-  
leno. Sunt etiam obtusi hebetisque ingenij. *Li 3. de  
simp. causis.*  
enim intelligendi facultas & ingenij vigor ex  
innato calore nascitur; ita tarditas & hebetu-  
do à contrario, nimirum frigido, exordium ca-  
piunt. Sensus quoq; tam interni quam exter-  
ni obtusiores sunt: nihilque in eis est pulchrius



male corporis, quæ excessu humidi & frigidi confurgit, & quod in sanguine pingue, leue, & tenue residet, vtriusque est materia: cumque in venæ extra sed transmiserint, vbi in frigidis particulas incidit, in ijs concrefcit, & in adipem conuertitur.

*Complexio  
melancholica.*

*Eccli. 14.  
Prou. 25.  
Prou. 17.  
1. Mach. 6.  
2. Cor. 7.*

*De simp.  
causis*

19. Deterima est melancholia: quæ, si temperata non fuerit, mores hominum deprauat, & eo quidem vsque, vt subinde prostratos more rore adigat ad laqueum. *Felix*, ait Sapiens, *qui non habuit animi sui tristitiam.* & Salomon: *Tristitia non nocet cordi.* & *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Hac aborsus Antiochus somnum omnem ac letitiam amisit. Nec voluit Apostolus incestuosum Corinthium grauius affligi, *ne forte tristitia abundantiore absorberetur.* Sunt enim melancholici tristes, propter spiritus melancholicos, turbidos, & tenebrosos; sicut ex opposito homines læti sunt ob spiritus alacritatem. Sunt etiam taciturni, paucorumque verborum, ob frigiditatem; sicut nimia garrulitas prouenit ex caliditate. Sunt suæ sententiæ tenaciores, ob ficitatem; à qua non facile se diuelli ac dimoueri patiuntur. Nec placari possunt, si offendantur. Voluunt, reuoluunt animo suspiciose ac temere aliorum dicta factaque. Nihil sibi fore tutum arbitrantur, facileque percelluntur: omnia tuta timent: quod nimirum atra bilis rationalis animæ arcem occupans, timorem inducit. Neque id mirandum est, cum videamus in rebus externis, inquit Galenus, nihil magis quam tenebras hos perterrefacere. Si igitur simile quippiam rationali parti.



pati anima circumfundatur, hominem semper time-  
re necesse est. ut pote qui semper timoris causam in cor-  
pore circumferat. Quod enim nobis extrinsecus accidit,  
cum ambiens nos aer vastissimis tenebris fuerit obscu-  
ratus: id melancholicis ab intimo corpore erumpere vi-  
detur, occupante cerebrum ipsamet atra bile, vel vapo-  
re quopiam melancholico, Hæc ille.

Scrupulose  
varij.

Eadem causa est multorum scruporum ani-  
mi: qui morbus, si quis alius, hominis mentem  
adeo præcipitat, ut ne sapi entes quidem sibi con-  
stent, & instar puerorum à iudicio excidisse vi-  
deantur. Nonnulli, quidquid agant, peccare  
timeant, in nulla re peccati materiam discer-  
nant: longisque discursibus occupati, postea  
referunt historias in quibus ne umbra quidem  
culpæ alicuius appareat. Alij arbitrantur, quid  
quid in imaginationem venit, in mentem venisse:  
& quia phantasiam habent non minus capa-  
cem quam tenacem, fit ut appetitus sensitivus,  
qui necessario sequitur apprehensionem ima-  
ginationis, moueatur sensumque natura ex-  
primat: illum rati consensum, cogitationes oēs  
quas putant mente pertractasse, & voluntate  
rationali probasse, ad peccati consensum refe-  
runt: cumque infinitæ occurrant, omni die, ho-  
ra, momento perplexi sic viuunt, ut non viuant,  
sed vitam miseram trahant: Nonnulli grauissi-  
mis scædioris voluptatis agitationibus vexantur.  
affidue, quasi res ipsas videant, quasi voluptas  
inhæreat. Occurrant & terribiles, cogitationes  
blasphemæ, hæreticæ, odii sacrilegi, in Deum, in  
Sanctos, tremendam Eucharistiam: de morte

K 5

sibi



sibi consciscenda, adferenda parentibus: & simili  
 le, animi affectiones, quæ adeo internum ho-  
 minem mordent, pungunt, & afficiunt, ut ve-  
 subinde cruerent, vel graui tristitia animum sul-  
 fundant, vel à suauitate internæ vnctionis dulcedine  
 ad carnificinam deducant: & licet ab actæ auole-  
 re videantur, muscarum importunarum inste-  
 indefinenter recurrunt. Sunt & non pauci, qui  
 libenter in omnia flagitiorum genera proficiunt  
 nullo scrupulo, nulla conscientie religione: sed  
 quando ea Sacerdoti exponenda sunt, adeo cre-  
 sciantur explicatione circumstantiarum, ut me-  
 dus non sit conscientie placandæ. Quod & pati-  
 animis accidit non raro, in exponendis rebus  
 quæ vix speciem vmbraque peccati admittunt.  
 Horrent Dei iudicium: inferni fauces sibi inha-  
 re putant; se damnandos illico pronuntiant: ci-  
 filia solatiaque omnia habent suspecta; diuer-  
 rum aures consulunt, & nesciunt acquiescere  
 quia in cognitione morbi laborant, qui non est  
 in legis æternæ violatione, sed in ulcere quoda-  
 nimam exulceratam depascitur. Arbitrantur et-  
 iam, mali remedium esse confessionum reitera-  
 tionem frequentem, cum nihil perniciosius sit  
 est enim ægritudo hæc similis scabiei prurientis  
 ac mordicantis, cuius affricatio voluptatem pa-  
 rit eximiam: sed id remedij morbum non sanat  
 imo recrudescere facit, non sine magno pericu-  
 lo inflammationis admodum perniciosæ, & do-  
 lorem pœnitentiamque improbæ voluptatis  
 relinquit. Confessio hæc repetita affricatio est  
 prurientis scabiosæque conscientie: meritoque  
 de e

*Remedia  
 contra scrupulos.*

*Jerem. 51.*



de ea dici potest, *Curauimus Babylonem, & non est sanata.* Imo certe tales exponunt se periculo grauioris morbi, affectam partem intempestiuo remedio proritantes: neque enim repetitiones illa, atque exaggerationes inculpatæ conscientia, remedia sunt, sed ruina ac interitus; quin etiam mania ac dementia viam sternunt, ni probis medicis fidem habeant? Verum corporum medici subinde proficiunt bono consilio, salutaris medicamento: erga scrupulosos spiritualibus medicis plus patientia opus est, quam medicamenti: nam & illi non credunt dicenti, & medicinam non applicant: & si reprehendas, patientissimi sunt, minusque apprehendunt consilia, quam mulsæ ventilabra: nam quidquid excutias, semper redeunt. Quem ex hoc ligno facies Mercurium, quomodo hunc idoneum putas PERFECTIONI capessendæ, cum omnes eius conatus, cogitationes, vires, consilia in id incumbant vno, decem, viginti, & triginta annis, vt vel vnicam molestiam amoliantur, nec possint? quo ergo vltra progredi dabitur?

Nihil hic dico de Complexionum varietate, *Complexio- num mix- tiones.* humorum coniugatione ac mixtione: vt enim de Temperamento diximus, sic de humorum cognatione dici potest: & varias esse nempe hominum condiciones, & quasdam ceteris deteriores, quæ, quidquid impurum atque improbum in aliis est, in vnum coaceruasse videantur. Et hos minus idoneos ad virtutem esse, nemo in dubium vocabit.



*Complexio 20.* Est ergo beneficium ingens, sana & in-  
*nem malā* gra frui valetudine, eoque Temperamento  
*obstaculo* Complexione, vt studio virtutis nulla aut certa  
*esse studioso* pauciora impedimenta obsistant. Qui fiet enim  
*virtutis ra* vt, qui lætitia perpetuo gestiat, vel mœrore ta-  
*tione proba* befcatur, vel torpeat ingenio, aut denique deside-  
*tur.* riis exæstuet, modum virtutis normamque te-  
 neat, extrema vitet, compositus maneat, & regu-  
 lam in actionibus obseruet? Verum est, ra-  
 tio & mentis dominium multa possunt: & psittacum  
 doces suum *χαιῖς* & lupum cicurabis, & canis  
 canistum impones: sed bestia sunt, ne-  
 das; & psittacus facile idioma suum recantabit,  
 & lupus semper sibi similis est, & canis, si quod  
 deuehit, voretur ab aliis, sui non erit immemor  
 denique.

*Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.*

At recursus ille, preces importunæ, sollicitatio,  
 propensio molesta est, amor est & pondus: &  
 nos molles sumus, tam diu molestas importuna-  
 nasque preces, à nobis præsertim promanan-  
 tes, constanter ferre non possumus, acquiesci-  
 mus, victasque damus manus. Et vero fateri de-  
 bemus, *mores animi, Complexionem sequi corporis, nisi*  
*si viribus altioribus falciamur: & hæc quidem*  
 D. Paulus suo calculo comprobatur. Scio enim (in-  
 quit) quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bo-  
 num Nam velle, adiacet mihi: perficere autem bo-  
 num, non inuenio. Non enim quod volo bonum,  
 hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Video autem a-  
 llam legem in membris meis, & pugnantem legi men-  
 tu mee, & captiuantam me in lege peccati, quæ est

*Rom. 7.*

*in mem-*



*in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius gratia Dei per IESVM Christum, Dominum nostrum.*

21. Non intendimus hac proluxa disputatione de Temperamento & Cōplexione corporis instituta, ad PERFECTIÖNEM acquirendam necessaria, illorum fouere curas ac sollicitudines qui toti in valetudinem curandam incumbunt, medicinis stomachi vires conuellunt, omnibus malis laborant, quibus alios detineri audiunt: quibus minimus dolor, maximi morbi vel prænuncius, vel præsentis indicium est: quorum palato nullus cibus arridet, nisi is qui est in operatis: quorum ventri numquam potest satisfieri: quos exilis doloris sensus ab omni officio auocat illico: quorum nullus alius sermo, quam de aduersa valetudine, eaque varia. Indecorum sane est, athletam spiritualem seruire palato, indulgere ventris desideriis, & loco studij PERFECTIÖNIS medicinæ aut curando corpori operam dare. Hoc medicis relinquendum est, & iis qui præsent. Si adhibita sint oportuna remedia, nihilque superfit explorandum, ad patientiæ asylum recurrendum est, & aliquid diuinæ prouidentiae relinquendum.

Hinc D. Bernardus prudenter monet: *Hic fouea est, qua nolo vos lateat. Insidiatur enim voluptas sanitati & tam sublimi malignitate prosequitur, ut vix ea quis possit cauere, vel nouerit. Quod si voluptati seruitur, hoc iam de natura non est, sed sub natura, qua morti manus dat, cum magistram constituit voluptatem. Inde etiam est quod multi ad tam bestiales & re-*

*reprehendi  
tur inanis  
solicitudo  
valetudinis  
& cur a ni-  
mia.*

*Serm. de  
triplici ge-  
nere bono-  
rum, & vi-  
gilantia  
super cogi-  
tationibus  
qui est in*

*belles*

PRO IMPEDICUS  
21  
Hoc iam de natura non est, sed sub natura, qua morti manus dat, cum magistram constituit voluptatem. Inde etiam est quod multi ad tam bestiales & re-



belles impetus descenderunt, vel (vt dicam verius) ca-  
 derunt: vt voluptatem praeferant sanitati, & illis ip-  
 sepeissime voluerunt, quae sciunt difficiles & acutis-  
 mas subsequi passiones. At alibi dilectissime. Quis  
 hic vos dicitis observatores ciborum, morum neglecto-  
 res? Hypocrates & sequaces eius docent animas salu-  
 facere in hoc mundo: Christus & eius discipuli perire.  
 Quemnam vos e duobus sequi magistrum eligitis? Ma-  
 gister manifestum se facit, qui sic disputat, hoc oculis, hoc ca-  
 piti. & illud pectori vel stomacho nocet. Legumina vici-  
 tosa sunt, caseus stomachum grauatur, lac capiti nocet.  
 Potum aquae non sustinet pectus. Caules nutriunt me-  
 lancholiam, choleram porri accendunt. Pisces de stagnis  
 aut de lutosa aqua mea penitus complexionem non cor-  
 gruunt. Quate est hoc, vt in totis fluuiis, agris, hortis,  
 cellarisue reperiri vix possit quod commedat. Putat  
 quaso monachum esse non medicum: nec de complexione  
 iudicandum, sed de profectioe. Num Hypocrates, seu  
 Galeni sententiam, aut certe de schola Epicuri debet  
 proponere vobis? Christi sum discipulus. Christi discipu-  
 lus loquor. Ego si peregrinum dogma induxero, ipse per-  
 caui. Epicurus, atque Hypocrates, corporis alter vobis  
 praeferat, alter bonam habitudinem praefert. Meus Ma-  
 gister vtriusque rei contemptum. Anima in corpore  
 tam quam summo studio iste, vnde sustentet: ille, vnde  
 & delectet inquirat atque inquirere, docet, saluatur  
 monet & perdere. Quid enim tibi aliud de Christi do-  
 ditorio sonuit cum paulo ante clamatum est, qui anima  
 suam perdet eam. Haec Bernardus. Ceteri  
 sancti Patres, qui de varia varia scripserunt, de  
 nulla re parcius, quam de curanda valetudine  
 (etsi moderata cura sua laude non careat) sed in  
 eo elabo-

Serm. 31. in  
 Cantica.

animam suam perdet eam. Haec Bernardus. Ceteri  
 sancti Patres, qui de varia varia scripserunt, de  
 nulla re parcius, quam de curanda valetudine  
 (etsi moderata cura sua laude non careat) sed in  
 eo elabo-



eo elaborant, vt nobis persuadeant, mortifica-  
 tionem corporis, animæque sanitatem, præfe-  
 rendam esse valetudini: quæ sola parum inuat  
 acquirendæ pietati, teste B. Paulo, qui dicit: *Cum* 2. Cor. 12.  
*infirmor, tunc potens sum. &: Infirmamundi elegit*  
*Deus, vt confundat fortia. &: Corporalis exercitatio ad* 1. Cor. 1.  
*modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est.*  
 Plurimi quoq; sancti viri in graui corporis lan- 1. Tim. 4.  
 guore & infirmitate præstanissima quæq; gef-  
 lerunt: qualis D. Gregorius in Pontificatu, quã-  
 uis cum assidujs stomachi doloribus conflicta-  
 retur: & S. Lydvina incredibiles morbos tota  
 fere vita perpeffa, egregia patientiæ & sanctita-  
 tis monumenta reliquit. Quid ni & nos à nobis Act. 14.  
 ipsis aliquid patiamur, cum & mortales esse nos Ioan. 15.  
 deceat esse memores: & per multas tribulationes o-  
 porteat nos intrare in regnum Dei nec sit seruius maior  
 Domino suo? denique omnes sancti quanta passi sunt  
 tormenta, vt securi peruenirent ad palmam mar-  
 tyrj!

## C A P. XIV.

*Passiones animi à Complexione praua factas  
 immoderatiores, PERFECTIONI  
 quærenda esse impedi-  
 mento.*

22. **V**Enio tandem ad id quod in hoc tra-  
 ctatu postremum non est: & quod  
 inter multa, quæ virtuti aduersantur, propemo-  
 dum